

1922. 20
OBSERVATIONES
IVRIS ROMANI ET SAXONICI

QVAS
P R A E S I D E
**D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO**

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO CV
RIAЕ PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII
IVRECONSVLTORVM ASSESSORE

DIE XXI. MART. A. S. R. CICLOCCCLXXX.

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

CAROLVS GVILIELMVS THYMIUS,
SCHLEVISINGENSIS.

SPECIMEN X.

VITEBERGAE,
EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

DISCOURSES
VARIS ROMANTICIS EXAMINATI

BY GEORGE STEPHANO

D. GEORGIO STEPHANO
MIESANDIO

EDITIONIS INSTITUTIONIS ORDINARIO CA
RUM ROMANTICIS SCIENTIAS ET CULTURAS
VARIOS EXAMINATI ASSISTENTI

THE XXI EDITION. 8TH EDITION.

H. L. O. S.

AD PRECESSIONEM ANNO MDCCLXXXVII

GEORGIO STEPHANO MIESANDIO

SCHEFFELINGENSIS

ETCETERA.

VITUPERGIA.

SCAMMIUS ABYSSUS CHIMERAE CHARYBIA.



I.

*Testimonium magistri cursus publici de pecunia recepta,
solutionem non probat.*

Incidit nuper quaestio, num debitor solutionem creditoris suo factam, per testimonium a magistro cursus publici super pecunia recepta datum, probare queat? Cum enim actor debitorem suum coram iudice interpellaret, atque ab eo solutionem debiti peteret, reus, se dedum pecuniam debitam exsoluisse contendebat, atque veritatem obiectae exceptionis in continentis apparere aiebat ex documento exercitoris cursus publici authenticō, de cuius quidem vi et auctoritate partes litigantes, vti plerumque fieri solet, acriter inter se disceptabant. Neque negamus, eiusmodi testimonium, quod vulgo dicitur ein Postscchein, si ab eo, qui cursui publico est praepositus, fuerit impertitum, fide publica esse dignum. Concedimus quoque, magistrum postae ex eo tanquam ex confessione publice facta obstringi, illudque, si res creditae interierint et vel dolo substractae, vel culpa amissae fuerint, vsum praeflare commodum. Praetores Romani, vt in primis viatoribus et peregrinantibus consulerent, actionem de receptis aduersus nautas, cauponas et stabularios, publicae utilitatis causa, introduxere. *L. 1. D. naut. caupon. stabular.* Haec actio vsu fori hodie utiliter ad magistros cursus publici, ex paritate rationis accommodari potest. Leyser *Specim. 66. Medit. 3.* Apud nos certe hanc actionem adhuc locum habere, dubitare haud sinit *Ordinat. post.* de Anno 1713. n. 44. in *Cod. August. Tom. II. p. 1063. seq.* Sed ex



his non sequitur, ut debitores hisce testimonii solutionem creditoribus suis factam, probare queant. Licet enim ex iis intelligatur, pecuniam magistro cursus publici ideo fuisse commissam, ut eandem in locum extraneum traiiceret, atque ad eum, cuius nomen epistolae vel inuolucro inscriptum, perferendam curaret; tamen ad eum vere peruenisse, inde non cognoscitur. Certissima solutionem probandi ratio est creditoris apacha, qua se solutionem a debitore suo accepisse, luculenter confitetur. *L. 14. C. de solut.* Solutio vero non presumitur, sed ab allegante est probanda. *L. 1. C. de probat.* Neque hic praesumptiones ad debitorem liberandum sufficiunt. Veteres Iureconsultos ita sensisse, testatur Modestinus in *l. 24. D. de probat.* his quidem verbis: *si chirographum cancellatum fuerit, licet praesumptione debitor liberatus esse videtur, in eam tamen quantitatem, quam manifestis probationibus creditor sibi adhuc deberi ostenderit, recte debitor conuenitur.* Facile quoque accidere potest, ut pecunia transmissa salua quidem in locum destinatum peruerterit, sed ex ignorantia vel errore, ipsi creditori non fuerit exhibita. His rationibus ducti statuimus, testimonii supra dictis solutionis probationem non posse peragi.

II.

De iis rebus, in quibus mutuum consistit.

Licet eximia veterum Iureconsultorum merita virtutesque profusa egredias grata mente agnoscamus: fateri tamen cogimur, eosdem saepenumero res scitu maxime necessarias ea, qua decet, cura non descripsisse. Multa definitionum vitiolarum exempla iam collegit Leyserus *Specim. 1. Meditat. 1.* cui iungendus est Otto in *praefat.* quam *commentario* suo in *Institutiones* praemisit. Sed aliud exemplum nobis suppeditat Paulus in *l. 2. §. 1. D. de reb. cred.* ubi ait, mutuationem in iis rebus consistere, quae pondere, numero et mensura constant, quia hae res magis in genere suo functionem reciperent, quam per solutionem in specie. Quantas turbas hic locus excitaerit, ostendit Bynkershoek. *Obseruat. lib. 1. cap. 10.* Caius in *l. 1. §. 2. D. de obligat. et att.* iisdem prope verbis mutuum describit, eiusque notionem ut magis perspicuam reddat, exempla rerum, in quibus illud vulgo consistere solet, subiungit, simulque haec adiungit: *quas res in hoc damus, ut fiant accipientis, postea alias recepturi eiusdem generis et qualitatis.* Eundem locum in *prooem. I. quib.* mod.

mod. re contrah. obligat. repetit Tribonianus. Interpretes recentiores duplici modo eiusmodi res, quae vulgo dicuntur fungibles, describere solent. Alii enim, ex quibus hic Westenbergium et Heinecium ad *Tit. D. de reb. cred.* nominasse sufficit, priscam notionem quoquis pacto tueri student. Alii e contrario, ut ambiguitatem vitarent, rem fungibilem dixerunt esse, quae vtendo consumitur. Menckenius in *Systemat. iur. civil. secundum Pandect. Libr. 12. Tit. 1. §. 1.* Berger in *Oeconom. iur. Libr. 3. Tit. 2. §. 2.* Sed vtrique notio iis virtutibus, quibus ornata esse debet bona et accurata definitio, nobis destituta esse videtur. Si veteres sequimur, deficit in ea perspicuitas, vel saltim breuitas. Etenim in eo omnes consentient, non omnia, quae homines in mutuis commerciis metiri, numerare et ponderare solent, ad res fungibles esse referenda. Faten-
tur potius, hanc descriptionem nimis late vagari suoque ambitu fere omnia, quae in hac rerum vniuersitate insunt, complecti. Hoc in-
commodum ut effugiant, simul necessariis limitibus eam circumscri-
bunt ita, ut vnicce ad res, quae functionem in genere recipiunt, re-
stringenda sit. Veritati hanc quidem opinionem omnino congruere, nemo facile negauerit. Vti enim quodvis negotium ex consilio con-
trahentium est aesiandum: ita quoque in contractu mutui illud in primis est intuendum. Qui mutuum accipit, re accepta vti cupit; qui vero illud subministrat, in eundem finem consentit atque res da-
tas accipientis facit. Conferatur Schilter. ad *Pandect. Exercitat. XXII. 3.* Sed, quis non animaduertit, vel ob eam ipsam rationem non posse rerum fungibilium notionem includi rebus, quae pondere numero ac mensura constant? Opinio vero eorum, qui mutuum dumtaxat ad ea, quae vsu consumuntur, referunt, pariter quadam difficul-
tate laborat. Si enim rem consumtam putas esse eam, cuius corpus vtendo perimitur, obstabit tibi pecunia, qua ita vtimur, ut eiusdem substantia maneat salua. At, inquis, pecunia etiam consumitur, at-
que in ea non verus, sed quasi vslisfructus constituitur, vti vel ex §.
2. *I. de usufruct.* constat. Consumi eam, non negamus, memores eorum, quae in *I. II. §. 2. et I. 14. D. de reb. credit.* occurunt. Sed ea non naturaliter, sed ciuiliter consumitur, dum erogatur a do-
mino inque nouum possessorem transfertur. Ita vero ambiguitas et in altera, quam excutimus, descriptione latet. Nos vero longe com-
modius res fungibles definiri posse, sumus persuasi. Scilicet ea res,



cuius vice fungitur alia eiusdem generis, nobis videtur esse fungibilis. Consentit nobiscum Voetius in *Commentar. ad D. Libr. 12. Tit. 1. §. 1.* In eiusmodi res, vt iam monstrauit Thomasius in *dissert. de pret. affect. in res fungibil. non cadent. cap. 1. §. 27. seqq.* preium affectionis non cadit, ideoque dantum nihil interest, num ipsum corpus, an simile in eodem genere, modo eiusdem sit quantitatis et qualitatis, recipiant.

III.

Pactum de non accusanda contumacia quatenus vires habeat?

Est iuris manifesti, pacta ipsis legibus bonisque moribus contraria, vi et effectu destitui. *L. 6. C. de paſt.* Laudandi certe sunt praetores Romani, qui, teste Vlpiano in *l. 7. §. 7. de paſt.* ea tantum pacta seruanda esse duxerunt, quae neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, senatus consulta, edicta principum, neque in fraudem aliorum fuissent inita. Hinc omnes pactiones, quae viam fraudibus factisque illicitis aperiunt, veluti, ne dolus futurus praefestetur, ut mandatum turpe expediriatur, usurpare ultra modum legitimum praefestetur, sunt irritae. *L. 27. §. 3. seq. de paſt.* *L. 22. §. 6. D. mandat.* *L. 29. D. de usur.* Non igitur temere quaeritur, num litigantes inter se de contumacia non accusanda, pacisci queant? Eiusmodi enim pacta turpitudine vacare haud videntur, cum lites, quas celeriter expediri publice interest, longius protrahant, atque commodam occasionem decreta magistratum impune eludendi, suppeditent. Sed alii fortassis, memores istius dicti decantati, contumaciam non accusatam haud nocere, aliam sententiam amplexuri sunt. Nos vero in hac quaestione recte diiudicanda, delictum necessarium obseruandum esse, existimamus. Scilicet actus, qui a iudice expediri solent, duplicitis sunt generis. Multa facere debet, quia id leges iubent, saepiusque ex officio, si munus suum recte tueri velit, procedere cogitur ita quidem, ut non habeat liberum decernendi et statuendi arbitrium. Ipsi quoque litigantes certa fatalia tam stricte obseruare debent, vt, iis neglectis, iacturam iuris, quo alias frui potuissent, patientur. In eiusmodi igitur rebus, si vel iudex ex officio processerit, vel litigantes certa fatalia, v. c. probationis aut reprobationis offerenda, leuterationis prosequenda, appellationis iustificandae, remedii intra decendum contra sententiam interponendi, neglexerint, pactum de non accusanda contumacia, nullas vires haber. Etenim pactis priuato.

uatorum ea, quae in legibus non in utilitatem singulorum, sed in commune commodum sunt constituta, nullo modo mutari possunt. *L. 38. D. de paet.* Neque hic iudex suo vtitur arbitrio, sed ipsis legibus adstringitur, vt ea, quae muneris ratio postulat, peragat. Est igitur tunc accusatio contumaciae, vti Illustr. Krausius in *dissertat. quando accusat. contumac. sit superflua, aut frustranea, §. 2.* monuit, prorsus superflua. Adde Mencken. *Proceff. iur. commun. et Saxon. Electoral. Tit. 10. §. 3.* E contrario vero in quibusdam contumacia litigantibus non obest, nisi ea prius rite fuerit accusata. *L. 13. §. 2. C. de iudic.* Hanc regulam in foris nostris tunc in primis seruamus, si reus sub poena confessi et conuicti item contestari iussus, citationi rite insinuatae morem haud gesserit. Licet enim is, qui impedimento legitimo nec allegato, nec demonstrato, iudicis auctoritatem contemnit, sibi imputare debeat damnum culpa contractum; nostrum tamen ius aequitatis humanitatisque plenissimum reos, quibus iam periculum caussae amittendae imminent, misericordia dignos iudicat eosque salvos esse cupit. *Ordinat. proceff. Saxon. recog. Tit. 4. §. 5. et Tit. 10. §. 2.* Idem quoque obtinet, si litigantes, quibus a iudice iniunctum est, vt in termino in hunc finem praefixo, iuriandum caluniae, vel principale iurent, in isto termino non comparuerint. Nam ne tunc quidem poena contumaciae decernitur, nisi prius contumacia sollemniter fuerit accusata. *Ordinat. exitat. Tit. 18. §. 7.* Fac vero, vnum litigantem cum altero pepigisse fidemque de non accusanda contumacia dedisse, hoc quidem pactum, cum ipsis legibus non repugnet nihilque illiciti contineat, ea, qua par est, religione custodiendum esse arbitramur, atque eum, qui fidem datam violat, turpitudinis reum postulamus. Sed ideo vnum eundemque effectum eiusmodi pactio tribuere non possumus. Scilicet discrimen, cuius antea mentionem fecimus, hic erit adhibendum. Si litigantes ipso iure poem contumaciae luunt in iis caussis, in quibus accusatio contumaciae frustra suscipitur, vel in quibus eadem non est necessaria, eiusmodi pactum omni prorsus efficacia deslituitur. Aliud vero statuendum erit de actibus, quorum omissione non aliter, quam si aduersarius contumacię accusauerit, nocere solet. Vt in his talis pactio sit vtilis, vel naturalis aequitas praecipere videtur. Quid vero faciemus, si aduersarius fidei datae parum memor, nihil fecius alterius contumacię accusauerit? Si iudici de veritati pacti initi certo constet, poem contuma-

tumacjæ ab eo irrogari nolumus, ne quis ex sua perfidia lucrum, quo dignus haud amplius est, percipiat. Suaderemus igitur litigantibus, vt eiusmodi pacta publice in iudicio ineant, atque ad acta insinuari curen, quia hoc modo malitiosis exceptionibus facile occurritur.

III.

Coniux coniugi succedens a praestando laudemio non est immunis.

In bonis emphyteuticis domino directo esse permissum, si emphyteus fuerit alienata, a nouo possessore quinquagesimam partem pretii vel aestimationis, tamquam praemium receptionis exigere, l. 3. C. de iur. emphytent. luculenter probat. Haec pecunia, quae vulgo dicitur die Lehnwaare, Handlohn, hodie non tantum in praediis emphyteuticis, sed et in bonis censiticis aliisque iuri Romano prorsus incognitis, saepe occurrit litesque sumtuosas gignit. Varia eiusdem genera in nostris foris recepta, non tam ex iure Romano, quam potius ex moribus Germanicis esse repetenda, a viris doctis iam animaduersum est. Schilter. de bon. laudemial. §. 7. et Illustr. Walchius in *dissert. de laudem. a liberis parentib. suis successur. soluendo. §. 4. seqq.* Si in villa re, certe in hac materia flebilis iuris domestici et peregrini commixtio apprehenditur, quae, vti plerumque accidit, interpretes in diuersas opiniones distractit. Nos hic vnicce illud laudemii genus, quod in manu seruiente praefarsi solet, et quod a nouo possessore tamquam herede exigitur, vulgo Sterbelehn, expendere volumus. In Saxonia lex extat classica, scilicet *Constitut. inedit. I.* qua quidem sanctum, vt etiam ii, qui praedia huic oneri obnoxia titulis lucratius v. c. per modum donationis vel legati acceperunt, ad illud praestandum sint obstricti; additur tamen simul haec exceptio: Wann der Besitzer Zins- oder Erbmann stirbet und lässt Kinder, so seynd dieselben Lehenwahr zu geben nicht schuldig, weil sie in der vorigen investitur begriffen. Wann aber keine Kinder, sondern Freunde seitwärts verwandt, als collaterales und extranei vorhanden, auf welche das Gut versäflet, dieweil das Dominium in dieselbe ipso iure nicht continuiret, noch gebracht wird, so seynd sie auch die Lehenwar zu geben pflichtig. Ex hac igitur constitutione luculenter appetat, solos descendentes ob condominium, quod iis in bonis paternis, viuo patre iam quodammodo competebat, ab hoc onere immunes suisse declaratos. Quae ratio cum in alios heredes, licet defuncto iure sanguinis ab intestato succedant, non cadat, facile est ad intelligi-

gen-

gendum, eosdem sibi hanc immunitatem frustra arrogare. Secundum ius communem omnes heredes, siue ab intestato, siue ex testamento succedunt, pari immunitate ideo, quod defunctum repraesentent, frui, multi statuunt, cum quibus etiam facit Frantzius de laudem. cap. 8. n. 24. Ut opinioni suae auctoritatem concilient, ad Nouell. 48. c. I. prouocare solent, quae tamen nostro quidem iudicio, eos parum iuuat. Multis vero in locis hodie eum morem inualuisse, ut laudem etiam a liberis tamquam proximis heredibus praestandum sit, ostendit Beckius de iur. emphyteut. Cap. II. §. 19. Sed iis in locis, vbi viget iuris Saxonici auctoritas, aliud statuendum ibique solos descendentes, nequitam vero ascendentis, collaterales, nedium coniuges, siue ex testamentis, siue ex pactis, siue ex iure generali, siue ex speciali succedunt, a laudem soluendo esse immunes, Constitut. supra adducta perspicue probat. Hinc, cum nuper in contiouersia coram Regimine ducali Hildburghusano agitata, vidua quaedam, quae marito successerat, praestationem laudem, quod praefectus de molendino hereditario exigebat, denegasset, atque ad libertatem naturalem prouocasset, eius petitio a Iureconsultis Vitembergensibus fuit rejecta, reseruata tamen ei assertae immunitatis probatione. Rationes dubitandi et decidendi, ut de specie proposita certius iudicari queat, hic annexere iuuat:

Ob wohl Klägerin behauptet, daß das Closter-Amt Weilsdorff von derjenigen Mühle, welche sie von ihrem verstorbenen Ehemanne, Johann Andreas Weiganden ererbte, das secundum fol. 4. ihr angesonne Hand-Lohn zu fordern nicht berechtigt, und anbey, daß, als ihr Ehemann nur gedachte Mühle von seinen Geschwistern künftig angenommen, sie den Kauf-Schilling von ihrem ein- und zugebrachten Vermögen bezahlet, anführt, so wohl, daß sie das von ihr verlangte Handlohn aus dem Grunde, weil in dasigen Landen die Gemeinschaft derer Glüther, unter Eheleuten eingeführet, und sie daher mehrgedachte Mühle mit ihrem Ehemanne zugleich im Besitz gehabt, auch, da sie keine Kinder mit einander erzeugt, sie dessen sämmtlichen Nachlaß geerbet, zu entrichten nicht schuldig, excipiret, und anbey auf dasjenige, was in der dasigen Herzoglichen Landesordnung von dem Fall, wenn nur ein Erbe vorhanden, disponiret, sich beruffet, und, daß die vom Procuratore fisci angezogene Rescripte, auch Iudicata, weil solche theils sub- et obreptitie erschlichen worden, theils aber von adelichen und nicht von Amts-Lehnern handelten, theils aber auch Iura tertiorum concernirten, ihr nicht entgegen gesetzt werden können, die Mey-

B
nung

nung heget, im übrigen auch, daß in dem Dorffe Bürden in ähnlichen Fällen, niemahls ein Handlohn abgegeben worden, einwendet; Dennoch aber und dieweil das Anführen, was machen Klägerin das Rauf-Premium der von ihrem Ehemanne hinterlassenen Mühle, von ihren Illatis bezahlet, in Ansicht, daß selbiges nicht bescheinigt worden, keine Attention verdienet; und, wenn auch selbiges in der Wahrheit wirklich begründet, daraus dennoch die Folge, als ob Klägerin dieserwegen ein Eigenthums-Recht an sothener Mühle erlanget, nicht hergeleitet werden könnte, vielmehr Klägerin den Umstand, daß nur erwähnte Mühle blos einzig und allein ihrem verstorbenen Ehemanne in Lehn gereichtet worden, abzuläugnen nicht vermocht, und, wenn gleich selbige das gesammte von ihrem Ehemanne nachgelassene Vermögen ererbet, dieses doch soviel, daß sie das angesonnene Hand-Lohn von denen zur Erbschaft mit gehdriegen Immobilibus zu entrichten nicht schuldig, um so weniger bewirken mag, da nach Sachsischen Rechten, zwar des Besitzers Descendenten, weil selbige sub prima Inuestitura mit begriffen, keinesweges aber dessen übrige Erben ab intestato, von Entrichtung des Laudemii befreyet,

Carpov. Part. 2. Constit. 39. def. 20. seq.

aus denen fol. 37. seq. und fol. 78. seqq. beygebrachten Herzoglichen Rescripten aber deutlich erhellet, daß denen Lehn-Herren in dem Fall, wenn des Erblassers Lehnspflichtige Immobilia nicht auf seine Kinder, oder Kindeskinder, sondern auf seinen hinterbliebenen Ehegatten, oder auch auf Ascendentes und Collaterales, die in der vorigen Inuestitur nicht mit enthalten gewesen, noch von dem primo Acquirente herstammen, vererbet worden, von diesen Personen das völliche Lehngeld zu fordern nachgelassen, mithin, daß die oben aus der Herzoglichen Landes-Ordnung angezogene Stelle auf die Art, wie Beklagter ex Interpretatione authentica dargesthan, zu verstehen, keinem Zweifel unterworfen, bey so bewandten Umständen aber auch der Klägerin übriges Anführen, in Betracht, daß vorbemeldte Rescripte allerdings, praevia caussae cognitione erlassen, und der Grund der Entscheidung darauf, daß Collaterales und Ehegatten, weil sie in der vorigen Inuestitur nicht mit begriffen, das Hand-Lehn zu entrichten pflichtig, gesetzet worden, weiter nicht in Erwägung kommen mag, eben so wenig auch die nach der Klägerin Vorgeben im Dorffe Bürden übliche obseruanz beygebracht worden, ein folglich Klägerin zwar mit ihrem Suchen abzuweisen, auch ob temeritatem litigandi, in Erstattung derer verursachten Unkosten zu vertheilen, jedoch ihr der Beweis der vorgeschützten Befreyung billig nachzulassen gewesen, so sind wir ic.

V.

V.

Iure Saxonico in processu varia sunt ore proponenda.

Obtinuit is mos olim in Germania, vt litigantes iudicium ingressi, desideria iuraque sua breuiter ore iudicibus exponerent. *L. Salic. Tit. 53. §. 2.* Heineccius in *Element. iur. German. L. 3. Tit. 4. S. 156.* Licet vero postea, praesertim peregrinis iuribus introductis, tota controuersias forenses tractandi ratio vehementer fuerit immutata; id tamen legibus Saxonice expresse constitutum est, vt litigantes quaedam in iudicio ore peragere debeant. In *Ordinat. cur. pronic. Vitemberg.* de anno 1550, vom Eyd der Procuratoren, sancitum: die Procuratores sollen derer Partheyen Sachen, vom Mund aus in die Feder reden. Haltausius in *Glossar. German.* sub verbo reden bene obseruauit, hoc verbum idem exprimere ac caussam proponere, postulare. Potuisset facile rationem, cur haec notio huic verbo fuerit subiecta, adicere. Nobis quidem certissime persuasum est, ideo aduocatos die Firsprecher, procuratores vero die Nedner in legibus prouincialibus dici, quia eorum officium in primis in eo consistit, vt clientum et mandatorum cauiss in iudiciis ore defendant. In *Constitut. 1. P. 1.* praecipitur: daß vor der Kriegs-Befestigung vom Munde in die Feder verfahren werden solle. Pariter *Constitut. 9. P. 1.* haec tradit: sonsten aber soll in und nach der Litis Contestation so wohl als für derselben, vom Munde in die Feder gesagt werden. Est quidem hodie litigatoribus permisum in omni processu, etiam in cauiss minutis, actionem in scriptis offerre; sed nihilominus quaedam adhuc in iudicio sollemniter et solo ore nuncupanda esse, leges et consuetudines fori dubitare haud sinunt. Sic actio viua voce, non tamen ad verbum, sed tantum per modum relationis, est repentina. Riuius in *Enunciat. iur. Tit. 10. §. 58.* Kaestner. in *delineat. process. ord. Cap. 3. §. 4.* In primis litis contestatio non in scriptis scienda, sed in positione, quae calamo excepta fuit, proferenda est, quia scripta litis contestatio sanctioni *Const. 1. P. 1.* repugnat. Haec vero sanctio in *O. P. R. Tit. 16.* non est sublata. Adde *Tit. 29. O. P. S.* et Riuius. in *Enunciat. Tit. 16. §. 6.* Hinc is, qui eam tantum in scriptis exhibet, modo praecesserit accusatio contumaciae, adhuc hodie pro confessu et conuictu habetur, vti collegia Vitebergensia saepe respondere solent. Idem quoque nuper admonuit Illustr. Küstnerus in *obseruat.* quibus Gribneri *commentat.* in *Ordinat. process. Saxon. illustratur*

uit p. 71. Ut prosecutio leuterationis ore peragatur, sancit *Constitut.*
19. P. 1. Sunt, qui existiment, vslu fori eam amplius non seruari,
fortassis auctoritate Ludouici decepti. Hic enim in *introduc.* in *pro-cess. civil. cap. 28. §. 19.* statuit, ea, quae in excitata *constitutione* cauta
sunt, in Saxonia amplius haud obtinere, atque opinionis suae funda-
mentum in *Mandat.* anno 1676. edito, quod in *Cod. Aug. T. I. p. 1266.*
exstar, collocat. Sed illud Mandatum vnicce pertinet ad eos, qui co-
ram summo prouocationum senatu cauissas forenses agunt. Illud certe
Mandatum hodie vsum non praestare, aperte docet noua *Ordinatio*,
qua hodie supremum prouocationum tribunal regitur, anno 1734. pro-
mulgata, in *Cod. Aug. continuat. p. 446.* his quidem verbis: *Was auf*
die ausgegangene Citationes zu denen bestimmten rechtlichen Terminen,
ein oder das andere Theil in denen vor Unserm Appellations-Gerichte an-
hängigen Sachen vorzubringen, das soll Unserm Hof-Gebrauch nach vom
Mund aus in die Feder geschehen, und derowegen kein schriftlicher Saß
angenommen und verstattet werden. Multas hodie leuterationes ob eam
caussam, quod non ore fuerit earum prosecutio facta, in dicasteriis pro-
desertis declarantur. His addimus, accusationem contumaciae, quae
in literis, non ore est proposita, non attendi. Ita iam saeculo praece-
rito pronunciasse Scabinos Lipsienses, testatur Riuinus in *Emunciat.*
Tit. 10. §. 71. Si tamen positioni, quae accusationem contumaciae
continet, inscriptum, einbracht, einkommen, ea praesumitur rite esse
facta. Illustr. Hommelius *Rhapsod. Obseruat. 3.* Sunt quidem hacc
verba ambigua, atque positiones ore vel in scriptis exhibitas exprimunt.
Sed in dubio credimus, litigantes sua iure rite proposuisse. Optan-
dum tamen, quia saepe de hac re odiosae oriuntur disceptationes, vt
actuarii semper apponenter iis, quae ore nuncupata fuere, eingebraucht
vom Mund aus in die Feder. Ceterum rigor iuris pristini et praesertim
Constitut. 1. p. 1. aliquantum mitigatus est in O. P. R. *Tit. 3. §. 3.* Ade-
de Krausii *Tract. synoptic. Process. iudiciar. Libr. 1. Cap. 2. Sect. 3.*
§. 10. Rationes, cur leges quaedam viua voce proponi iuserint, iam
reddidit Carpzouius ad *Const. 1. P. 1. def. 1.* Nos hic addimus, in
cauiss minutis has sollemnitates non desiderari, ibique litis contestatio-
nem qualemcumque, modo ex ea constet, num actor fundamentum
actionis neget, an affirmet, item accusationem contumaciae scri-
ptam tolerari.

ULB Halle
004 058 02X

3



56



R22
20

OBSERVATIONES
IVRIS ROMANI ET SAXONICI

QVAS

P R A E S I D E

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO CV
RIAЕ PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII
IVRECONSULTORVM ASSESSORE

DIE XXI. MART. A. S. R. CICLOCCCLXXX.

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST
CAROLVS GVILIELMVS THYMIUS,
SCHLEVISINGENSIS.

SPECIMEN X.

VITEBERGAE,
EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.